



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia
à S.P.N. Francisco institutus**

Pauck, Engelbert

Coloniae, 1720

Num. 45. Capitulum quartum, quòd non vadant ad convivia inhonesta, &
spectacula, & quòd Histrionibus non donent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

tradixerit & ab Ordine ejiciatur. Fratres, qui Habitum discoopertum gestant, ferant æquas manicas; Habitus genua cooperiat; & pallium sit duobus digitis longius; nec exterius singularitatem affectent; quæ magis serviat ad ostentationem, quam devotionem. Monentur etiam Fratres omnes, & Sorores, quamvis non portent Habitum discoopertum; ut in vestitu, & cultu talem observent modestiam, & corporis compositionem; ut agnoscantur Sectatores Pœnitentiæ; se scilicet pro illa, & Deo commutasse vanam gloriam, pompam, & ornatum hujus sæculi, imitando saltem ex parte pauperem, & humilem Patriarcham FRANCISCUM; qui etiam vestes proprias pretiosas resignavit ad manus Episcopi Assisensis. Si Frater aliquis Habitum discoopertum gerens, in tantam inciderit paupertatem, ut se labore suo, officio, vel facultatibus sustentare nequeat, vel mendicare cogatur, Habitum exteriorum deponat, idque sine dispensatione observetur. Si verò Frater aliquis (quod Deus avertat) scandalosè vivat; quilibet alius Frater ex Ordine poterit illum charitative admonere, & secundum S. Evangelium ei correctionem fraternam dare, vel si convenientius videatur poterit secretò Ministrum mone- re, & Minister Visitatorem; ut hic eidem correctionem det. Quòd si Frater delinquens facta hac correctione se non emendaverit? Visitator in Præsentia Ministri, vel alterius Fratris devoti, secundà vice eum corripiat, ipsum admonendo, si se non emendaverit, Habitum se privandum. Quòd si post hæc omnia se non emendaverit? occultato [quantum fieri potest] delicto, res ad Discretos Congregationis deferatur; ex quorum parte illi intimabitur, quòd ab Ordine sit exclusus. Si Habitum discoopertum adhuc portaverit, illumque deponere noluerit, quid tunc sit agendum? dicemus postea

*Quòd non vadant ad convivia inhonestà, & spectacula, & quòd Histri-
onibus non donent.*

CAPITULUM IV.

XLV. **A**ccessus ad inhonesti convivii, seu spectacula; curias, seu choreas sit iisdem penitus interdictus. Histri- onibus intuitu vanitatis nihil donent; neve quidquam iis à propria familia, seu Domestici- cis detur, urent prohiberi. Cui capitulo ex Statutis nihil addendum occurrit.

De Abstinentia & Jejunio.

CAPITULUM V.

XLVI. **A**B esu carniùm, secundà, quartà, & sextà Ferià, dièque sabbatino abstineant; nisi aliud infirmitas, vel debilitas suadeat. Iis (quibus vena inciditur) triduo carnes dentur, quæ nec Peregrinantibus subtra- hantur. Licita quòque sit omnibus carniùm comestio Festis anni solemnioribus, quibus ceteri Christiani ab antiqua observatione, & Ecclesiæ consuetudine carniùm vescuntur; aliis etiam diebus (in quibus Jejunium non servatur) ovis, & caseo vesci poterunt. Sed & cum ceteris Religiosis, in eorum Conveni- bus, & domibus licitè sumant, quæ apponuntur; sintque prandio, & cœnâ per diem contenti, exceptis debilibus, viatoribus, & infirmis. Sani- nis autem sit cibus, & potus moderatus, juxta Textum Evangelii: *Attendite, ne corda vestra crapulâ, & ebrietate graventur.*

Prandium non sumatur, nec Cœna; nisi præmissa saltem Oratione Dominicâ, quæ post sumptionem cuilibet, cum Deo Grati- as, repetenda. Quòd si hæc contigerit omitti, dicatur tribus vicibus, Pater noster. Quilibet